

FONTIonline

Sussidio documentale per le attività dell'ILIESI

Istituto per il Lessico Intellettuale Europeo e Storia delle Idee

Consiglio Nazionale delle Ricerche

[http://www.iliesi.cnr.it/fonti\\_online/index.shtml](http://www.iliesi.cnr.it/fonti_online/index.shtml)

Questo testo è disponibile su questo sito grazie a:

[Herzog August Bibliothek](#)

Postfach 1364

D-38299 Wolfenbüttel

Segnatura:

H: O 232.4° Helmst. (12)

A: 269.1 Theol. (17)

Cornelius MARTINI

Disputationum metaphysicarum secunda de subiecto metaphysicae

(Helmstedt 1604)

AUSPICE DEO TER OPT. MAX.  
Disputationum Metaphysicarum Secunda.

DE  
**S V B I E C T O M E T A-**  
**P H Y S I C A E.**

*Ad quam*

Præside

Clarissimo solertissimoq; Dn.

**M. CORNELIO MARTINO,**  
**AND VVERPIO, PHILOSOPHO**  
**ACUTISSIMO, IN ILLVSTRI IVLIA**

Logices Professore publico, ac pro tempore  
facultatis Philosophicæ

Decano,

*Respondebit*

ad XI. Calend. Septembr.

**IOANNES CANVTVS COLDORPHIVS**  
**Danus.**



HELMESTADI,  
Typis IACOBI LVCII, Anno  
CL c IV.

REVERENDIS, CLARISSIMIS  
Pietate, doctrina, & grauitate præstantif-  
simis

Dn. M. IONAE IACOBÆO VEN-  
SINO, IN ILLVSTRI ACADEMIA  
apud Hafnienses, Physices Professori acutissimo  
P. & Regio: Rerumq; Danicarum Histo-  
rico peritissimo:

Dn. M. JOANNI CANVTO VVIEL-  
LAEO, ECCLESIAE DIVI NICOLAI,  
ibidem Pastori fidelissimo:

Dn. M. IOANNI BANGIO, MEDEL-  
PHERDensi, ECCLESIAE DIVI SPIRI-  
TV, sibidem vigilissime:

*Præceptoribus, & Mæcenatibus,  
Honore & amore summè colendis.*

**D**Ythagoras apud Laërtium, viri clarissimi omni disciplinarum genere præstantissimi, de vita philosophorum scribens, non minus scitè quàm eleganter, vitam humanam panegyri, siue solemini hominum conuentui æquiparasse fertur, ad quem alij certaturi, alij negotiaturi, nonnulli spectatores modò futuri conueniant. Ac cæteros quidem sollicitos, solum spectatorem tranquillum frui celebritate. Hunc spectatorem, philosophum esse aiebat, qui non ob aliud in hoc mundi theatrum prodijisset, quàm vt naturas rerum, ac mores hominum contemplaretur:

digna

digna profectò philosopho sententia, quam omnibus omnium philosophantium oculis quotidie obuersari, optandum esset. Huic quidem eminentissimi philosophi astipulantes, dicunt, hominem si secundum sensum appetitum viuat, vivere vt bestiam, si secundum intellectum actuum, vt hominem. Si verò secundum intellectum speculatiuum vt philosophum. Sola enim speculatio siue contemplatio, sui cultores perfectos facit, ijsq; (quòd mente operentur, eamq; coiant) vitam beatam pollicetur; spretis insuper omnibus omnium terrenarum facultatum (quibus mundus inhiat) lucris, soli rerum contemplationi ~~eternam~~ veræ, quâ ad perfectiōm sui totiusq; rerum vniuersi cognitionem facilius peruenit sunt intenti. Id verò Aristoteles Peripateticorū facile princeps, non absq; medijs fieri posse animaduertens, Metaphysicam in Chalcide insula collegit, collectam posteritati tradidit; in qua tantum segetis orbi theoretico metendum reliquit; quantum in hac vitâ (cuius arctissimis vinculis concludimus) speculando demetere, ipsi possibile haud esse duco. Hanc clarissimus CORNELIVS de philosophia præclarè meritus, auditoribus suis disputando proponit. Thesis itaq; huius nobilissimæ materiæ viri spectatissimi literatissimi, præceptores & mæcenates optimi, omni obseruantia colendi excel. vestræ gratitudinis ergò, consecrare & dedicare, & volui & debui: obnixè petens vt easdem pro vestra humanitate, & consueto animi candore, benignè recipiatis. Valete fautores optimi, salui, salua cum patria. In incluta IVLIA II. Calend. Septembr. Anno CIC 15 CIV.

*Vestri obseruantissimus cliens  
& discipulus,*

IOANNEES CANVTVS Coldor-  
phius, Danus.

## THESIS I.

X ipsa ratione, deinde quoq; Aristotelis autoritate superiora disputatione à nobis probatum est, necessariò dari scientiam aliquam, quæ Ens considerat quatenus est E N S, quam Metaphysicam appellauimus.

2. Nihil ergo opus est, ut dum varias diuersorum de Metaphysica obiecto opiniones conquirimus & refutamus, tempus triuisse videamur. Precipue autem illorum, qui alia nobis obiecta moluntur. Neg, enim par esse videtur, scientia queri obiectum, sed contra obiecto scientiam: sicuti quoq; in superiora disputatione ostendimus, aduersarios nostros cogi ab obiecto scibili, ut vel iniuti scientiam hanc nobis concedant.

3. Qui igitur vel primas causas subiectum siue obiectum faciunt huius scientie propterea quod ad eas tandem resoluendo perueniatur; vel ipsum D E V M quod Ens sit Entium; vel substantiam immaterialē, quod hinc propriè conueniat rei & rationis abstractio; Vel solum Ens finitum, quod illud perfectis instructum sit causis, vel substantiam, quia accidentia non nisi in & ab ipsa sint, deg; ipsa primum demonstrantur, omnes inquam isti in manifestissimo errore deprehenduntur.

4. Licet enim varia hisce subiectis pigmenta querantur, ut aliud dicatur primum primitate perfectionis, aliud primitate attributionis, & que sunt eius generis: omnia tamen hoc condonari modestiae quidem possunt, veritatis autem cum simplex sit oratio, simpliciterea quoq; procedit, secundum quam nequaquam subiecta huius scientia, sed subiecti potius partes censeri debent.

5. Scimus enim ex posterioribus analyticis subiectum necessariò adaequatum requiri ad scientiam: nullum autem horum adaequatum esse potest, nullum enim supremam scientiam constituit, sed posito inue-

inueniri inter haec subiecta quadam de quibus peculiaris possit dari sc̄entia, nihilominus semper illi scientie superior altera querenda esset.

6. Docuit id nos disputatio præcedens, necessariò propter affectiones omnibus Entibus communes, aliquam scientiam dari, que Ens quatenus Ens est consideret, non autem hoc tantum aut illud Ens, siue id ratione dignitatis, siue attributionis, siue alio aliquo modo primitatem sibi vendicare velit.

7. In Metaphysicis enim, siue supremo scientiarum capite, multa necessariò traduntur, quæ per se necessaria sunt ad cognitionem reliquarum rerum, quæ tamen neg, D E O quatenus D E V S est, neg, substantie quatenus substantia, neg, primis causis quatenus tales, sed omnibus quatenus Entia conueniant.

8. Hinc itaq; primum conceptum Ens videlicet, huius scientie subiectum statuimus.

9. Porro, sicuti conceptus Entis primus est, ita quoq; omnium est confusissimus; cum nihil sit de quo intellectus noster agat in quo hoc conceptu opus ei non sit, adeo etiam ut ipsum non E N S considerare nequeat nisi Ens concipiatur & ei negationem adiungat.

10. Hinc adeò non levis exstitit difficultas. Sunt enim propterea quidam arbitrii, quod Ens quatenus mente concipitur siue ea uniuersalitate qua mens id sibi format, sit subiectum huius scientie. at illos falli multis modis & ratio & authoritas Philosophi testatur.

11. Concipit enim intellectus conceptus qui vocantur Entia rationis, propterea quod tantum rationi debeant suum esse, nihilq; reale extrà intellectum illis respondeat.

12. Hi conceptus, siue ad imitationem aliorum Entium fiant, siue sequantur operationes intellectus, & secundi conceptus siue secundæ intentiones dicantur, cum reuera nullam habeant Entitatem, nullam realitatem, & per consequens nullam cum realibus unitatem, neg, subiectum esse neg, ad illud pertinere possunt.

13. Mentis sanè operatio Ens est, quatenus est operatio, illud vero quod operatur mens si à mente fingitur aut aliâ aliquâ ratione per acci-

accidens aliam operationem sequitur, Ens esse non potest, cum impliet contradictionem & per consequens hoc non pertinet.

14. Deinde ipsa quog Entia realia cum dividantur in Entia per se & per accidens ab Aristotele s. Metaphysicorum context. 7. Quia Entia per accidens sunt Entia aggregata, neq; inseunitatem habent, ab hac scientia merito excluduntur.

15. Quare statuendum est, Ens quatenus est Ens reale, esse huius scientie veram & germanum obiectum.

16. Nam si conceptus noscere naturam Entitatis daret, quid causa sit cur non ipsum quog non Ens in censem Entium veniat, quod eo quo potest modo concipitur: nec tamen quis sit iam absurdus qui ad obiectum Metaphysices velit pertinere non Ens.

17. Quare conceptus Entis Metaphysici erit conceptus Entis obiectiuus à rebus menti obiectus, secundum totam abstractionem suam qui unum formalem conceptum in mente nostra efficit.

18. Quod ut intelligas, sciendum est quid formalem vocemus conceptum, quid obiectuum.

19. Formalis conceptus est ipsa rei similitudo iam in mente actu expressa, que rei formam representat.

20. Conceptus vero obiectiuus dicitur, res ipsa quatenus per conceptum formalem cognoscitur.

21. Exempli gratia. Quando cognoscitur homo, conceptus formalis est illa idea in mente humana qua exprimit formam hominis, estq; mentis mea accidens. Conceptus autem obiectiuus est ipse homo, siue communis illa & uniuersalis natura, in illo homine vel in omnibus hominibus, quatenus conceptum formalem in mente genuit.

22. Ut igitur conceptus aliquis sit realis, virumq; habere debet, & conceptum formalem in mente & conceptum obiectuum in rebus.

23. Quod ita intelligimus ut conceptus ille quem realem vocamus à re aliqua in qua subiectu (ut loquuntur) sit menti obiectiatur, atq; ita ab ea concipiatur.

24. Porro cum ratio siue natura Entiu variat; neq; n. quicquam est quod

quod Ens non sit, siue id complerum sit, siue in completum, siue principium, siue principiatum, siue natura subeat generis, siue differentiae specificae, substantiae vel accidentis &c. Nihil mirum est si varie à doctissimis viris disputatum sit; quomodo conceptus hic se habeat.

25. Necesse enim est nobis hic longè diversissimum accidere ab eo quod in omnibus reliquis conceptibus uniuersalibus evenire solet, propter illam quam diximus latitudinem quid nihil sit omnino de quo Ens predicari non possit.

26. Est sane conceptus uniuersalis Animal. ~~Si Corpus,~~ Substantia &c (qui omnes per specificas differentias distinguuntur & ad certas species contrahuntur) de quibus differentijs genera nec praedicantr nec praedicari possunt. Neq; enim verè dixeris rationem siue rationalitatem esse animal, falsissimum enim id sit; eademq; ratio est in reliquis omnibus que ut genus prædicantur, at Entis hic conceptus longissime ab hac natura abit.

27. Pone enim quiduis quod pro Entis differentia tibi sit; omnino id aut Ens statuendum est aut non Ens. Si Ens, iam de eo ipso prædicabitur, si non Ens, implicat contradictionem: quod enim non est nullum Entis modum dicere potest.

28. Itaq; de conceptu Entis, ut diximus, varie est disputatum, non tantum obiectiu sed etiam formali.

29. Ne verò commentarios ingentes aliorum nostris hisce disputationibus infarciamus, qui licet foris non parum ad rem ipsam faciant; huic tamen nostro instituto non admodum conducere videntur, breuiter sententiam nostram explicabimus.

30. Quicquid ergo reliqui sentiant, statuimus unum conceptum Entis dari formalem, qui re ipsa distinctus sit à reliquis Entis conceptibus particularibus unamq; inse & simplicem habeat rationem formalem.

31. Et quia conceptus obiectiuus nihil aliud est quam ut patuit ipsum obiectum eà ratione qua perceptum & cognitum est per conceptum formalem, statuimus secundo unum quoq; esse conceptum obiectuum

sum ad extream & immediatum qui formaliter conceperit respondeat.

32. Nec tamen re ipsa sed tantum ratione precisus sit à reliquis conceptibus particularibus obiectius.

33. Non autem uniuersus est hic conceptus, contrà quam aliqui censent: cum nullum genus de differentijs suis prædicetur uniuersus.

34. Multoq[ue] minus est equiuersus ut patuit, non enim equiuersus est aut formalis aut obiectivus conceptus, sicuti canis quatenus sydus est & quatenus animal, nec uno conceptu obicitur neq[ue] concipiatur.

35. Ergo relinquitur uniuersalem hunc Entis conceptum esse analogum.

36. Cum autem duplex sit analogia, proportionalitatis & attributionis, quicquid reliqui statuant negamus conceptum hunc esse analogum proportionalitatis, sed attributionis.

37. In omni enim analogia proportionalitatis, alterum membrum tale est per suam formam, alterum non per formam suam sed propter subiectum tali proportioni vel comparationi ad aliud, quod semper, si vera sit talis proportio, aliquid metaphora includere videtur: sicuti ager quando ridere dicitur. quod tamen in Entis hoc conceptu falso esse iam ostendimus, qui talis non est propter comparationem sed propter intrinsecam formam sive formae unitatem intrinsecam.

38. Tamen obseruabis in altera analogia, videlicet attributionis, male nonnullos arbitrari illam fieri secundum denominationem extrinsecam tantum, ita quod (verba illorum sunt) primum illorum tantum sit tale formaliter, Cetera autem talia denominantur extrinseci sicuti sanum est formaliter animal, urina autem & medicina & alia huicmodi sana denominantur non à sanitate eis inherente, sed extrinsecè ab illa animalis sanitate significatiū vel causaliter.

39. Quanquam enim hoc de magna parte analogorum attributionis recte dicantur: tamen item alia sunt que, ut ex Diuo Thoma docet Suarez, significant formam seu naturam intrinsecè inuentam in omnibus analogatis; & tale est Ens, cum accidentia non sint Entia

per

per extrinsecam denominationem uti ostendimus, sed per intrinsecam naturam seu rationem.

40. Hec itaq[ue] intrinsecaratio formalis quia equaliter & indifferenter Entibus inferioribus non conuenit, equaliter quoq[ue] & in differenter eis attribui non potest, sed tali ordine ut prius sit absolute in substantia deinde in accidente cum habitudine ad substantiam, in quo ratio analogie consistit.

41. Atq[ue] hæc est sententia Aristotelis quando q. Metaphysicorum contextu 2. & passim alibi docet Ens multipliciter quidem dici, verum ad unam quandam naturam & non equiuersum.

42. Et quidem conceptus Entis ita se habet, quem subiectum sive obiectum huius scientiae constituimus: modus vero considerandi ab Aristotele additur. Quatenus est Ens.

43. Vbi obseruanda sunt verba Scoti que ad textum hunc Aristotelis scripta reliquit: Notandum esse, inquit, quod particula hoc In Quantum & qualibet dictio reduplicativa potest teneri dupliciter, scilicet, reduplicativè vel specificativè, primo modo sumitur quando illud quod sequitur immediate reduplicationem, notatur esse causa formalis & praecisa inherentiæ prædicati ad subiectum. Secundo modo sumitur quando quod sequitur reduplicationem accipitur tantum secundum suam rationem formalem sine præcisione formalitatis inherentiæ prædicati ad subiectum.

44. Exemplum primi: Triangulus in quantum triangulus habet tres angulos duobus rectis aequales: nam hic particula illa Triangulus quæ sequitur particulā in Quantum, est formalis ratio & praecisa inherentiæ prædicati ad subiectum. Nam forma specifica trianguli est formalis & praecisa ratio quod habere tres angulos duobus rectis aequales in isto triangulo quæ est eius passio adequata inherens per se primo.

45. Exemplum secundi: Homo in quantum homo est albus. Hic enim particula ista Homo quæ sequitur particulam in Quantum non est causa formalis inherentiæ prædicati ad subiectum, alicquin

omnis

*omnis homo esset necessario albus, sed accipitur tantum secundum suam communem formalitatem sine illa præcisione causalitatis, ut sit sensus, homo in quantum homo, id est, id quod est homo, est albus. Isto enim modo particula in Quantum solum specificat non reduplicat subiectum.*

46. *Adscripti verba Scholastici quem in hac parte sequor, propter ea quod aliter alios & reduplicationem & specificationem accipere videam.*

47. *In hac igitur enunciatione Ens quatenus Ens est subiectum Metaph. particula Quatenus sumitur reduplicatiuè: Non enim tantum hoc vult Philosophus omne Ens considerari à Metaphysico sed hoc insuper dicit: sub nulla alia quam Entis ratione id fieri. Et de obiecto Subiecto Metaphysics tantum est.*

## AD DOCTISSIMVM DN. RESPON- dentem, sympathetiam amicum.

  
Vm satus Anchisa, terram quâ condita patris  
Offa fuere pii, magnorum numine Diuum  
Classe aduentasset, portusq; ingressus amicos;  
Annua constituit genitori soluere vota,  
Solemneisq; parat pompas: stans littore fatur:  
Non temerè, ô socij, nos has deuexit ad oras  
Æolus, atq; Italos licuit non querere fines:  
Cernimus hic cineres, animisq; umbrasq; paternas  
Heu quantum scelus his solitos non soluere honores.  
Si pietas si quid diuini cura parentis  
Promeruit, læti ad tumulum celebremus honores.  
Ergo agedum si queis animus, si pectore virtus  
Fortè latet, si quis famæ superaddere famam

Gaudet,

**Gaudet, & illustris Virtutis præmia poscit**  
**Approparet: celeri si qui contendere cursu**  
**Huc valeant his dona dabo, sat digna labore:**  
**Fidite, non quisquam mihi non donatus abibit.**  
**Auribus arrectis stant Teucri, hæc pectore voluunt.**  
**Corripiunt spatia, his dictis, littusq; relinquunt,**  
**Cura fuit cuius præfenti munere fungi.**

His ego, COLDORPHI, ( mihi nî sua dona negasset  
Phœbus ) te canerem assimilem, qui tempore in omni  
Munera quæ cursu rapido voluere paranda  
Sicelides, summo contendis prendere nisu.  
Munere dum mentem inuitant, dum præmia ponunt,  
Non mora, non requies, non fors inimica retardat  
Non via difficultis, licet ardua: poscis honores.  
Sed ne fortè viâ lufus per deuia oberres,  
Néue negent salebræ optatam contingere metam;  
Musarum Antistes cursum moderatur habenis  
Cui cedunt salebræ: tantum perge hoc duce recta  
Ibis ouans animis. nec te spes ludet inanis  
Munera quæ aspiras tandem continget apisci.  
Crescat fama ducis. crescat tua pone sequentis.

*CONRADVS QVISTIVS  
Fridericib. Danus.*

## AD EVNDEM.

  
Ndagare quod in rebus sublimius exstat  
Omnibus, haut ad scabrarum condenda molarum  
Instrumenta licet faciat, nec fulua metalla,  
Nec dites gazas, Tyrioue infecta veneno  
Vellera lucretur: ipsam tamen exuit, ipsam  
Inscitiâ mentem, & purgans rubigine turpi  
Rite acuit, rite in Sophias sacraria ponit,

Inlustri

Inlustrī in solio residens vbi dīa dearum  
Afficit emeritam sacro acumine, lumen sacro,  
Qui dicens, lucens, quæ poscit, apiscitur, & quæ  
Quò sibi conformis, quò sit perfecta, requirit.  
Illa suos vult esse suos Nympha optima; mentem  
Illa suūm dominam rerum, rerum inquietam  
Exploratricem, soloq; in scire beatam.

Macte animis, macte rarā virtute I O A N N E S,  
Cuī non arrisit congesti cura peculi,  
Ast amor Aonidum, atq; huius pellacia diuæ.  
Nam te de pigro non fecit puluere glebæ  
Solius, at flamas, viuofq; Hyperionis æstus  
Addidit Iapeti genus. Hinc mens carcere claudi  
Terreno potis haut, se super impete fertur  
Ad conuexa pøli, cognatosq; ætheris ignis.  
Perge igitur: quò vult pia mens, oculissime, perge:  
Cuī focus atq; ara est Sophia illibata, præbit  
Dux M A R T I N I A D E S, animosus, Iuppiter! Hector  
Pieridum, & cunctis studijs iuratus Achilles.  
Perge sub hoc, subq; his Aquilis, mi I A N E, mereri;  
Perge; Aganippæo fortis dux fortiter ipse  
Musica miscebis tandem certamina campo.

*fudit*

**GEORGIVS CALIXTVS**  
*Holsatus.*

**F I N I S.**

